



Nr. 16.

16a

DISSERTATIO HOMILETICA  
POSTERIOR  
DE  
**CONCIONVM**  
**FORMA,**  
AD AEDIFICATIONIS SCOPVM  
CVRATIVS COMPONENDA,  
*Bon erbaulichen Predigten:*

QVAM  
IN REGIA FRIDERICIANA  
DIE MARTII ANNI HVIVS MDCQXXX.  
PVBLICAE DISQVISITIONI  
SVBMITTIT  
PRAESES  
**D. IOACHIMVS Lange,**  
S. THEOL. PROF. ORDIN.  
RESPONDENTE  
**NATHANAELE Reinherz Schäffer,**  
DABERA - POMERANO,  
S. S. TH. CVLTORE.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ  
TYPIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP.

DISPUTATIONE MONUMENTO  
POSTERIORI  
DE  
CONCIIONVM  
FORMATAM  
AD AEDIFICIATIONIS SCOPVM  
CHARITATIS COMPOUNDAM  
SUSCEPITURUS DILECTIO  
IN REGIA TRIBERICIANA  
MATTIANI HILIA MDCXXV  
CARACTERISATIONIS  
AVANTIA  
PRAESES  
DIOACHIMAS ELLAC  
THEOS RICOL ORDINI  
CARPONDINT  
NATHANIEL GUTHRIE  
BAGKIA ROMANI  
S. ET C. LIBRORVM  
NALE MAGDEBURGICAE  
TASIS EHRISTIANI HINCERII ACAD. TAY



DISSERTATIONIS HOMILETICAE.

POSTERIORIS

PROPOSITIO I.

DE IVSTA DICENTIS HABILITATE.

Prima hic & præcipua lex est in ea ministri habilitate, quam, cum debita fidelitate conjunctam, is habet e principio unctionis, & in renovacionis ordine excolit augetque.

ILLUSTRATIO.

§. I.

Egari quidem nequit, V. D. Ministrum extra gratiæ statum positum ad ecclesiastici muneris administrationem non penitus & omni ex parte esse inhabilem. Sacraenta enim legitime administrare potest; cum hic, si ipsorum integratatem consideres, tantum externa

requiratur actio, efficacia autem omnis ab auctore Deo dependeat; in sacra cena tamen, & in baptismo apud adultos, simul justum dignæ participationis ordinem requirat. Nec ea ipsi abjudicari potest habilitas in verbi divini prædicatione, quod, quæ ad textus sacri sensum litteralem, immo & emphaticum, & ad varium ejus usum, auditoribus superficiarie accommodandum, pertinent, certo modo præstare possit; & eo quidem magis, quo magis a subsidiis institutionis & lectionis est instructus, & quo magis ab his, minus vero a propriæ meditationis opera, ad vanum placendi studium composita, sermo ejus dependet. Et, quæ sic satis integre proposita sunt, quin apud auditores fructum aliquem ferant, non est dubium.

## §. II.

Verum enim vero hæc ad justum justæ ædificatio-  
nis scopum fructumque nequaquam sufficiunt. Hunc  
enim quæ intercipiunt ac impediunt, immo vel penitus  
etiam evertunt, sunt per multa, nunc pro ratione insti-  
tuti brevioris non enumeranda. Satis erit, hic *tres* in-  
dicasse *defectus* quam maxime exstantes: quorum pri-  
mus est in ministri haud regeniti *intellectu*, secundus in  
*voluntate*, tertius in *vita* ejus. *Intellectus* laborat tenebris,  
*voluntas* pravis affectibus; *vita* vero nocet scandalis.  
Quæ quid in recessu habeant, ut, quam fieri poterit, bre-  
vissime edifferatur, omnino e re est homiletica.

## §. III.

Evangelii præconem impium plane destitutum es-  
se genuina & viva Dei rerumque divinarum cognitione,  
jam, ut alias, abunde demonstratum vindicatumque,  
sup-

## DE CONCIONUM FORMA.

5

Iuppono: ubi simul pluribus probatum est, notitiam istam mere litteralem, in sensu biblico & unice vero, nequaquam esse genuinam; utpote respectu virium, quibus acquisita est, tantum in sua quasi substantia, seu constitutione essentiali, mere naturalem, ideoque superficiariam, sterilem, & in rebus practicis, ad experientiam pertinentibus, falsam & erroneam. Et si erubescendum est J Cto, si loquatur sine codice; quid ni erubescat Theologus loqui sine codice suo sacro, & auctoribus ejus ~~conveniuntur~~, ipsique Christo, homini impio veram Dei cognitionem abiudicantibus, in faciem obloqui & sine fronte contradicere, h. e. eos, qui ipsorum stilo ~~cæci~~ ~~stultiisque~~ sunt, & omni veritate, non solum viræ, sed ipsius etiam fanioris theoriæ, carent, secundum loca Matth. XXIII. Rom. II. 1 Joh. II. aliaque fere innumera & clarissima, pro vere *illuminatis* & *sapientibus* habere? Quod assertum quantopere a vero abhorreat, vel inde constare potest, quod ne quidem in *absolutam Deipotenciam* cadat, ut per miraculum ex impio, in peccatis mortuo, cum perseverantia tali, faciat vere illuminatum; cum manifeste sit contradictorium, carere vita spirituali, & tamen spiritualiter videre, seu spiritualem oculorum mentis usum habere: quippe quod spiritualiter viventis est, & non magis cadit in spiritualiter mortuum, quam oculorum corporis usus in corpus naturali vita privatum. Quare, quando Deus per omnipotentiam suam unquam fecerit, aut facturus est, ut homo naturaliter mortuus viderit, aut visurus sit, effecerit etiam, aut efficiet, ut is, qui spirituali vita caret, edat tamen suis mentis oculis spiritualiter viventis operationes: hoc est, nunquam: cum ea, quæ contradictionia sunt, & semet

A 3

ipsa

ipsa evertunt, sint maneantque non entia; & talia quidem, quæ ne quidem in absolutam & extraordinariam Dei potentiam cadant; nedum ponenda sint in classe eorum, quæ ordinariæ Dei operationis sunt & ad salutis ordinem pertinent. Qui hic Bileami & Phariseorum exempla opponunt, quantopere ab ipsisorum mente & indole absint, dijudicent, qui possunt & volunt.

## §. IV.

Jam vero si ministri, extra gratiæ statum constituti, luce genuinæ cognitionis spirituali carent, *quales* in suis sermonicationibus, sive publicis, sive privatis, erunt hodie? nonne cæci cæcorum? secundum verissimum & cum emphasi sapientius repetitum ipsius Salvatoris nostri effatum. Matth. XV & XXIII. *Quales* sunt mysteriorum Dei æconomia? nonne imprudentes & infidi; utpote qui prudentia, fidelitatis & spiritualis donumq[ue]as dôno, quod non nisi in propriae experientia ordine obtinetur, adeo destituti sunt, ut ne quidem oculos habeant τῶν ὑπερίων & νεοφύτων in Christo. *Quales* sunt satores? nonne inconsulti & inepti? qui non solum agriculturæ sunt imperiti, sed genuinis etiam melioris frumenti granis noxia infelicitis varisque lolii sui semina miscent? & eo quidem largius nocentiusque, quo plura iis, quæ e meliori subsidiorum apparatus defumta sunt, de suo addunt.

## §. V.

Ad tantam miserae mentis cæcitatem non minor voluntatis, ad omne bonum in sensu spirituali tale, spiritualiter emortuæ, perversitas accedit. Quæ cum sit dominans, quemadmodum intellectum in tenebris detinet, immo subinde spissioribus involvit: sic puriori doctrinæ

Etinæ evangelice prædicationi variis modis obstat, e-  
amque vitiat. Horum præcipui sunt, quod a recto sco-  
po abducit dicentem, & quod eundem affectuum suo-  
rum indonitorum servituti ita mancipatum tenet, ut  
horum duætum, scopi obliquitati subservientem, præci-  
piti impetu sequatur. Qui enim suam ipsius salutem,  
etsi sibimet ipsi proximus, non curat, is, quamvis in pro-  
curanda auditorum suorum salute amplificandæ divinæ  
gloriæ finem præ se ferat; re tamen ipsa nihil minus fin-  
cere querit & obtinet; sed omnia, certe multa, refert ad  
se ipsum, alicujus commodi, aut honoris, vel augendi, vel  
non minuendi, respectum pro regula homiletica ha-  
bens. Id vero est καπηλεύειν τὸν λόγον τῷ θεῷ, verbum Dei  
cauponari. 2 Cor. II, 17. Quæ cauponaria & mercenaria  
doctrinæ cœlestis tractatio justam ejus orthotomiam, a  
Paulo 2 Timi. II, 15. commendataim, non adiuitit, sed fu-  
git ac corrumpit. Unde evenire solet, ut, quæ in thesi  
recte dicta sunt, in applicatione ad auditores sëpe sint  
alienissima, ipsisque non magis convenient, quam qua-  
drata rotundis. Huc vana accedit persuasio, qua isti  
animarum pastores, qui non & ipsi oves Christi ejusque  
discipuli sunt gentiani, e naturalis philautiae suæ ductu-  
se pro regenitis habere solent; imprimis quando ci-  
vili morum honestate sunt conspicui, aut eam, certis  
dissolutionis vitæ actibus interpositam, per certa tem-  
porum intervalla sectantur. Hæc vero perversa opinio in  
hanc abit regulam, ut ab ipsis in ter auditores pro regeni-  
tis habeantur, quotquot non deterioris sunt schematis.  
Quibus quando bona salutis & solatia evangelica appli-  
cantur, panni novi assumentum veteri ac folido vesti-  
men-

mento adhibetur, & novum vinum, idque generosius, in utres fracidos reconditur, ruptura quam certissime subsequeate Matth. IX, 16, 17. Sic autem saepe vitiari in hypothesi, quæ in thesi vera sunt, quis genuinus verbi divini præco non videt ac dolet?

## §. VI.

Quandoquidem vero corruptis ille animi status, a coniuncta & maxime cognata *intellctus* ac *voluntatis* labitate paucis descriptus, tanquam causa, ordinarie in *vitam*, auditorum oculis ac auribus judiciisque expositam, ita solet influere, ut hæc scandalis sit oppleta; concidit in oratore ecclesiastico, si quid frontis ipsi ex remorsu conscientiae adhuc super est, parrhesia, & exspirat in auditoribus fiducia. Et cum exempla vulgo plus valere soleant, quam regulæ, his, in primis si cum tempore, & sine ullo sanctioris affectus rerumque justo pondere datae fuerint, neglectis, in exemplorum, seu scandalorum, imitatione auditores esse soleant toti. Quid? quod in concionum usibus non raro aut plane præteriri, aut quam levissime tangi, soleant ea, in quibus dicens vulneratam & reclamantem habet conscientiam, non nescius, quam turpe sit doctori, quando culpa ipsum redarguit. Et quamvis a propriæ præceos defectu nequaquam valeat argumentatio ad neglegendum regulæ & doctrinæ: in ea tamen hæret animorum partim imbecillitas, partim perfiditas. Neutri vero pabulum præbet, qui veram gregis sui ædificationem sincere & serio intendit.

## §. VII.

Ex his itaque liquet, eam verbi ministri habilitatem spiritualem, quam is inito satis ordine e principio gratiæ

gratiæ habet, & alacriori renovationis cursu auget, merito primam & primariam constituere legem homileticam, in sermonis publici forma ad ædificationis scopum digne & salubriter componenda. Quam qui negligit, reliquas, quæ sequuntur, adhibere quidem poterit non inutiliter plane; at sine debito successu. Quare qui non multiplicato neglecta & sua & aliorum salutis reatu conscientiam suam vult obstringere, monitum istud primarium sibi habeat quam commendatissimum.

## PROPOSITIO II.

## DE AEDIFICATIONIS IMPEDIMENTIS REMOVENDIS.

Qui gregis sui ædificationem serio quærit, primam in eo ponit curam suam, ut a sermone suo sequngat, quæcunque scopo isti ullo modo, sive extantius, sive latentius, obstare deprehenduntur.

## ILLUSTRATIO.

## §. I.

Cum hic eundum sit per partes speciesque, inter has merito primum obtinet locum, quæ dissertatione priore ex instituto notata est; scilicet *nimia*, ea que consueta & ordinaria, *sermonis extensio*. Hæc enim quantopere vel optimarum etiam concionum fructum dissipet ac intervertat, ibidem pluribus demonstratum est. Utinam consilio hic relinquatur locus, nec plus daretur con-

suetudini, quam sanis rationibus. Qui fibi ipsis in sacro isto, si ita loqui licet, cacoethe displicant, excusandi sunt; & eo quidem magis, quo minus agunt ex instituto, & quo impensius sibimet ipsis imperare, & affectum suum in potestate retinere laborant. Qui vero in eo sibimet ipsis placent plauduntque, suo partim profuentioris eloquentiae dono, partim copioso rerum dicendarum apparatu tacite delectati, illi sane laudandi non sunt, et si ferendi. Certe iusto longiore rem sermonis publici protractionem, si ordinaria sit, unum esse e precipuis ædificationis, quam tamen ea præ se fert, impedimentis, e gravissimis, quas prior dissertatio exhibet, rationibus facile colligit, qui sapit.

## §. II.

Ad reliqua ædificationis impedimenta, carptim tantum attingenda, quod attinet, absit vanæ artis affectatio, uti ab integro sermonis corpore, sic ante omnia ab eius capite, *dispositione*. Quam qui e dicto, quod exordium præbuit, sine nativa ac simplici facilitate, artificiose tornant quasi ornantque, & huic formæ deinde totum sermonis habitum argutando adaptant, logodædali sunt inepti, & indigni, qui audiantur, audiendi tamen, sed cum affectu commiserationis, & tacitæ supplicationis pro ipsis ad Deum mittendæ. Qualis ædificationis, in patientia positæ, species, in quantum ab oratore efficitur, in laude ponenda haud est.

## §. III.

Justum *traditionis*, seu *explanationis*, fructum imprimere solent tres præcipue nœvi: nimia prolixitas, vana eruditioñis ostentatio, supervacaneorum consedatio. Prolixitatem

## DE CONCIONUM FORMA.

ii

tatem nimiam parit varia *significationum*, quam haec, aut ista, vox ac phraseologia habeat, *enumeratio*, cathedræ doctoris academicî hermeneutica propria, & in hac etiam parcius adhibenda: item diversarum *sententiarum*, in quibus interpres inter se dissident, operosa *recensio*: nec non ista rei immoratio, qua dicuntur, non quæ ratione scopi dici debent, sed quæ sâpe non sine habilitatis ostentatione dici possunt. Cum tamen dictuero meditandum sit non solum, quænam sint *preferenda*, sed etiam quæ sint *mittenda*.

### §. IV.

Per eruditionis vero *ostentationem* verbi minister eo minus loquitur Christo, & in eius gloriam auditorio, quo magis loquitur sibi ipsi, imperitorum captans aplausum; imperitorum, inquam; cum rerum peritis ejusmodi ostentatores sint tædio. Et horum nonnulli quo magis crepant linguis textus sacri originales, eo minus eas intelligunt, philologicis aliorum oculis pro perspicillis imperite vidi. Cui inconsulta philologiae quando additur superbiens critica, matæologiae homileticæ apex imponitur, in primis si comitulus polyhistóriæ strepitus accesserit.

### §. V.

*Supervacaneis* annumeranda est locorum, ex antiquioribus ecclesiæ doctoribus desumptorum, recitatio, aut prælectio; in primis si in confuetudinem aliquam abeat. *Emblematicas* vero rerum *repræsentationes* hic in primis pertinere, sed abesse debere, quis negabit? & quis vir, immo & foemina prudens, si tantum judicio polleat mediocri, non fastidiat ejusmodi ingeniosorum,

B 2

at

at sanioris judicij sale destitutorum, rhetorulorum inceptias? Quid non comminiscitur rei homileticæ vanitas, quæ, quod donum est Dei, in artem convertit, eamque fingit ac refingit, prout fert lasciviens luxuriantis ingenii fabrica? Quæ quando *historiarum* condimenta interspergit, & ad curiosarum *quaestionum* solutionem abit, vel illorum ventris ministrorum, quorum fugam Paulus Romanis commendat c.XVI, 17. 18. affectatam εὐλογίαν & χερσολογίαν superat. Hæc vitia a religioso textus sacri interprete abesse debent.

## §. VI.

Ad textuum explicatorum applicationem quod attinet, ab hac eo curatus scjungenda sunt ædificationis impedimenta, quo directius ad hanc ista tendit, certe tendere debet. Sufficiathic potiora indicasse, ut auditores nostri, quibus hæc scribuntur, habeant, quod etiam hæc in parte fugiant. Primum & communissimum applicationis vitium est in *nimia brevitate*, quam partim rerum practicarum fastidium, partim præmissæ tractationis luxuries efficit. Vix enim cepta est materiæ ad praxin traductio, quando desinit. Ubi, quando vulgo dici solet: *weil aber die Zeit verflossen ist, so wollen wir u. s. w.* perpendere debebat sermocinator frigidus, ipsi a prudentioribus tacite regeriz: *Warum hast du die Zeit so verflossen lassen?* Nonne vero similis est dapium structori, qui, postquam vel integrum horam in artificiosa istarum dissectione transgut, dicere vellet: *surgite convive! canæ tempore jam exacta mensa tollenda est: delibasse sufficiat!*

## §. VII.

## §. VII.

*Secundum applicationis vitium est in affectus tempore,* qui e practicæ possessionis & cognitionis defectu ori-  
tur. Hic vero non confundendus est cum naturali  
parhesia defectu: utpote quo non pauci etiam ex il-  
lis laborant, qui sensus in spiritualibus habent exerci-  
tatos, rerumque practicarum experientia probe sub-  
actos. Sed hi, quod oratione actioni deest, rerum pon-  
deribus ita compensant, ut inde auditorum docilium  
animi incalescere possint; cum nec ipsi frigeant. Al-  
terum modo dicti vitii extreum est in pathologæ affec-  
tione: quæ quo theatro est convenientior, eo hic est  
indignior.

## §. VIII.

*Tertium applicationis vitium est in omissione exami-  
nis conscientiae, quod rerum practicarum, quas textus  
exhibuit, tractationi subjungendum erat: quartum in  
aberratione elenctica, seu inconsulta & imprudenti con-  
troversiarum discussione; in primis si istæ jam dudum  
sepultæ sint, aut auditorum tamen captum transcen-  
dant, eorumque notitiam fugiant. Quintum in Pelagia-  
na usus pædeutici methodo, qua ex isto errore, quo mini-  
ster non regenitus semet ipsum & auditores suos,  
quotquot ipso non deteriores sunt, pro regenitis habet,  
is vitam & viventium actiones spiritualiter mortuis in-  
jungit, omni argumentorum suorum pondere in sua-  
morali collocato: sextum in isto usu epanorthozico, in  
quo severitas, seu gravitas, cum caritate non est tempe-  
rata, nec ex principio gratiæ, legis fulmina temperan-  
tis, est derivata. Septimum denique in inconsulto ejus-  
modi*

modi *μανεσμά*, qui omnem usus elenctici & cpanorthotici vim, si qua fuit, enervat, nec objectum afflictum recte determinat, solatis permulcens eos, qui tantum consiliis fideliter admittendis egebant.

## PROPOSITIO III.

## DE AEDIFICATIONIS ADIVMENTIS.

Tota concionis compages ita adornanda instruendaque est, ut ea inde ab exordio usque ad conclusionem in singulis partibus integra ad ædificationis scopum sit directa.

## ILLUSTRATIO.

## §. I.

Primum dicturi officium hic est, ut, suis, et si per Dei gratiam non exiguae sunt, viribus, pro paupertatis spiritualis sensu, moderate diffusis, *Deum invocet* ex animo, ejusque gratiam ad præparationis & ipsius actus operam sibi fidenter ac demissæ exoret: secundum, ut in meditatione, & in aditu ad concionem, semet ipsum prompto obsequii proposito, identidem repetito induat & quasi armet, probe memor, se ipsum *suimet esse auditorem* omnium proximum; cum aures habeat ori suo proximas. Quare qui aliis dicit, dicit ante illos sibi met ipsi. Qui desiderat, ut alii doctrinæ suæ conforment mentem, quam in potestate sua non habet; eccur, sui ipsius hoc respectu dominus, sibimet ipsi promptum obse-

obsequium non imperat? Hoc autem proposito bene confirmato qui suggestum adit, is certe non exigua, quæ inde resultat, cum parrhesia illum condescendit, ut obsequentissimus sui ipius auditor futurus, ita etiam obsequentiores habiturus auditores.

## §. II.

Exordiendi modus vel *arbitrarius* est, vel fixus. *Arbitrarium* voco, qui, prout fert liberum dicentis arbitrium, pro diversitate textus in singulis concionibus variatur: *fixum*, qui quidem ratione electionis primum etiam a doctoris arbitrio dependet; at, quando electus est, pro electæ materiæ, in partes suas divisæ, nexus, per aliquem tractum continuatur, donec materia ista abso-luta sit. Exordium arbitrarium, seu *variantes*, quo est brevius, eo ædificationis scopo est convenientius. Quod si enim exordio longius protracto aures imbecilliorum jam sunt aliquo modo defatigatae, mens in tractatione eo citius flaccescit, omni attentionis nervo amitto. Ut vero a dicto aliquo biblico semper inchoetur concio, consultum non est, ne eadem semper chorda oberres. Cum varietas haud vana etiam haud vane delectet, saepè non incommodè dicendi initium fieri potest a re ipsa, loco biblico eidem confirmandæ, aut illustrandæ, subjunctor.

## §. III.

*Fixus* exordiendi modus, ratione continuationis non nisi ordinariis verbi ministris conveniens, ad scopum ædificationis permultum confert: qui tamen, ut tractandæ materiæ fieri possit satis, ultra exordii variantis mensuram aliquantum est extendendus: cui extensi-

3000

sioni deinceps aliqua tractationis circumcisio, ne ista modum excedat, facile potest mederi. Scribo imperitis: ideoque materias diversas, quas exordiis fixis in ipsa ministerii ecclesiastici praxi præ aliis aptas apprehendi, ipsis recensebo ac commendabo: quæ sunt:

1. *Summa doctrinae christianaæ capita secundum ordinem B. Lutheri catecheticum.* Sunt enim in omnibus vere coetibus ex adultis, immo e senibus etiam utriusque sexus, permulti, quine primæ quidem doctrinæ istius rudimenta tenent, & multo minus apti sunt, qui ullam altioris tractationis materiam e decurrenti concionis serie debito cum fructu percipiant. Si sapit mysteriorum Dei economus, hoc doctrinæ lac ita instillat, ut, qui in cœtu *rois virgines* annumerandi non sunt, simul aliquid solidioris cibi accipient.
2. *Operum Dei aliorumque factorum, quæ in historia V. T. jam inde a mundo condito usque ad Christum natum exstant, præcipuorum, recensio ac illustratio didascalica & pædeutica.* Dici enim vix potest, quanta historiæ biblicæ, quæ tamen in præcipuis ejus capitibus summi momenti est, ignorantia laborent homines; &, si quam nonnulli istius superficiariam habent notitiam, quam expertes sint veri sensus ac salubrioris, qui inde ad applicationem petendus erat, nuclei. Qui quando illis exhibetur, nova quasi audiunt, & antehac inaudita non sine fructu admirantur, de ruditate sua biblica sic convicti, & sibi tandem de institutione gratulantes. Et eadem fere est ratio factorum N.T. quotquot

quot pericopas textus sacri evangelicas non ingrediuntur, & tamen ad scopum fidei ac vitæ consignata sunt.

3. *Liber aliquis biblicus alterutrius testamenti, per capitum & commatum pensa minora ita interpretandus, ut sermo interpretis sit paraphrasticus & identidem ad applicationem relatus; in primis quando majoris momentires & monita incident. Solent enim plerique, si domi ad sacri codicis lectio nem accedunt, sacra legere sine debito tensu, similes illis, qui cibos ingerunt sine gustu, & multo magis sine ullo ad sanitatem corporis comparato effectu. Apostolicas epistolas scopo isti præcipue esse aptas, sermonis brevitas & rerum, quas continent, pondera ostendunt.*
4. *Peculiaris evolutio typorum, sive historici sint, sive ceremoniales: utpote quæ non parum confert ad rerum christianarum, & in primis ipsius CHRISTI, cognitionem & illustrationem solidiorem.*
5. *Selectus dictorum, quæ perperam intellecta, & multo adhuc pejus depravata, ad peccandi licentiam convertuntur. Id quod nonnullorum etiam factorum sensui & applicationi accidere, experientia testatur. Multo, eoque fidelissimo, rerum usu exercitatisimus ecclesiæ nostræ Theologus, vir beatæ & immortalis memoriae, PHILIPPUS JACOBUS SPENERUS, quid in hac exordiendi methodo præstiterit, exhibet tractatus ejus insignis, Sprüche der heiligen Schrift vom gemeinen Missbrauche gerettet. Quæ enim publicè tra-*

C

eta-

etaverat, isto scripto ad aliorum informationem exstare voluit. Et quod hic etiam aliquando epistolas Pauli majores ad Romanos & ad Corinthios exordiorum loco tractaverit, testatur earum paraphrasis, in volumine, des thaligen Christenthums Notwendigkeit und MÖglichkeit, Germanice versa ab illustri viro, SECKENDORFIO, Speneriani nominis cultore amantissimo.

6. *Hymnorum in quovis cœtu usitatorum & notissimorum illustratio paraphrastica cum applicatione practica.* In hymnis, sive antiquiores sint, sive recentiores elegantioris metri, ecclesiam nostram evangelicam plane incomparabilem habere thesaurum, nemo nescit, et si multi non satis digno usu agnoscant. Sed quotus quisque inter auditores est, qui genuinum sensum, in primis in phraseologia obscuriore & difficiliore, vel emphatica etiam recte perspicit? Et nonne isti fere omnes, qui ne litterarum quidem rudimenta ad lectionem tenent, & hymnos e solo auditu didicunt, multa ne pronunciant quidem recte? tantum abest, ut genuinum percipiant sensum. Dant itaque sine mente sonos, vel psittacis simillimi & miserrimi. Nonne vero tantæ miseriae sensu tangatur sincerus ovium ejusmodi quasi brutarum inter rationales pastor? Quod si eo afficitur, vix aliam huic tam ingenti malo medelam invenerit, quam hanc, quæ in hymnorum usitatorum expositione, exordiorum loco tractanda, posita est. Ex hac enim canentibus deinceps, occasione hujus:

ius & istius locutionis declaratae, subinde incidere solent, quæ aliquando rectius auditæ sunt. Et si, quod merito fatemur, hymni ecclesiastici magnæ hominum turbæ, partim libris destitutæ, partim litterarum plane rudi & lectionis experti, sunt loco bibliorum; cur subsidiaria hæc biblia ipsorum usibus non accommodamus, sed pro opera hac malum rhetoricari?

7. Ut annus post millesimum & septingentesimum decimus septimus obtulit, sic præsens hic trigesimus adhuc offert satis idoneam occasionem greges Domini instruendi de magno illo, & vix a centesimo quoque agnito, nedum digne & stimato, *opere Dei*, quo is ecclesiam nostram *e captivitate papatus Babylonica in libertatem evangelicam* adseruit, publica celebratam purioris doctrinæ confessione, quam ab *Augusta Vindelicorum*, ubi ante duo secula, in solennissima procerum totius imperii Romani panegyri, augustissimo imperatori tradita est, *Augustanam* vocamus. Quænam vero occasio vel optari posset commodior illa, quam conciones exordiendi consuetudo exhibet? Ubi autem prudentis est doctoris, facto selectu e superiorum temporum historia ea tradere ac illustrare, in quibus singulare & multiplex divinæ providentiae elucet, & ad ædificationem efflorescit.

### §. III.

Hæc haec teus de fixis exordiorum generibus. Ad quorum illustrationem aliquam monita subjungo sequentia:

C 2

i. Ni-

20. DISSERTATIO HOMILETICA

1. Nihil hic cuiquam præscribi, sed dari tantum consilia, & eorum praxin cuiusvis arbitrio relinqu.
2. Me hæc scribere non emera theoria, sed e praxi, quam ante hos triginta annos in pastorali munere servavi, & in decimum usque annum, donec hoc Halam ad cathedram academicam evocatus sum, mihi ex amore concreti frequentioris gregis commendatam habui, nec *ἀναγπον* deprehendi. Nunquam quidem variantia exordia improbavi; sed, cum, quid auditoribus esset salubriss & accommodatiss, perpendere, id Berolini statim a munere, mei primordiis elegi.
3. Quandoquidem fixa exordia plus temporis requirunt, quam ista variati modi; exordia specialia eo magis omittenda esse, quo minus sunt necessaria, & quo minus etiam alias justæ concionis formæ, quia corpus faciunt biceps, convenientiunt, & tractationem textus ipsam eo magis esse circumcidendam, ut justa, seu sensuum ac animorum imbecillitati accommodata, concionis mensura obtineatur.
4. Fixos illos exordiendi modos doctorem non solum inveniendi aptioris exordii cura levare, sed præcidere etiam omnem tentationem ad textus dispositionem e dicto exordiali affabre detornandam. Sic enim omnia procedunt plana & nativa methodo, simplicitatem & gravitatem christianam decente: scilicet prælecto textui statim subiungitur propositio, qua, quid ex eo ad tractandum sit selectum, indicatur.
5. Tractationem diversi generis biblicam, paulo ante indic-

indicatam, hoc tempore eo esse faciliorem, red-  
dique salubriorem, quo majori exemplarium sa-  
cri codicis copia plerique coetus per universam  
ecclesiam evangelicam sunt instructi: & inter a-  
lia quidem præcipue ex instituto illo *editionis  
biblicæ Cansteiniano*, ad singularia nostræ ætatis  
signa referendo: utpote cuius subsidio, inde ab an-  
no hujus seculi duodecimo usque ad trigesimum  
hunc, plura utriusque codicis exemplaria, eaque  
viliori pretio parabilia, prodierunt, quam ante-  
hoc integrum tulit seculum; ne dicam duo tule-  
runt secula, et si puriore cœlestis doctrinæ luce  
collustrata. Quod qui nescit, aut de quo qui du-  
bitat, adspiciat indicem exemplarium impressum:  
ubi bibliorum integrorum majoris formæ tanta  
est copia, ut exemplarium summa *centena & dena-*  
*millia*: minoris formæ *centena & sexaginta millia*  
conficiat. Novi vero Testamenti, cui Psalmi ad-  
juncti sunt, exemplaria seorsum edita efficiunt sum-  
mam *ducentenorum & decem millium*: item in minori  
forma *quindecim millium*. Quantus coniunctim  
numeris! Jam vero copiosior hic scripturæ sacræ  
apparatus, qui fervente hypothesæ opera in an-  
nos crescit, & subinde plurimi manus deposito  
hoc cœlesti implet; quid requirit aliud a fidis ver-  
bi ministris, tamquam cœlestium dapium struc-  
toribus, quam ut has ipsas convivis, ad saluberri-  
mam evangelii cœnam vel campanarum motu in-  
vitatis, ὥσθιον paratas adponant?

6 Exordiali hac scripturæ sacræ tractatione aliquo mo-

C 3

do

## DISSERTATIO HOMILETICA

do compensari haud exiguum istum defectum, qui e fixis ipsis pericoparum evangelicarum & epistolicarum pensis resultat: utpote secundum quas, ut Poetæ verbis utar, verbi ministris usque ad vitæ finem *redit labor actus in orbem!*, modo ad ædificationem quidem apud imperitiores non inepto, & satis utiliter adhibendo; at nontamen satis consulto & laudabili.

## §. IV.

Hæc hec tenus de iis exordiorum formis, quæ pro dicentis arbitrio ad certioris ædificationis scopum referri possunt. Pergendum nunc est ad *tractationem*: quæ quomodo ad eundem majori cura adornari possit, ea, quæ sequuntur, monita exhibebunt:

1. In *textibus historicis* singula fere circumstantiarum momenta ejusmodi præbent porismata, quæ, uti ex iisdem sponte sua resultant; sic facta singula sale condidunt practico; in primis si ad praxin dirigantur, non solum caritatis, sed etiam prudentiæ christianæ; & si sapienter ostendatur, quomodo amplissimam doctrinam de providentia Dei, secundum varias ejus species, illustrent.

2. Et cum in *textibus historicis* fere omnia, quæ in factorum representatione exhibentur, ad certas *personas* referri soleant, dicenti perpendicularium est, quo animi *affectu* hæc & ista fuerint dicta, acta, auditæ, vel etiam permissa & tolerata. Rarius enim hæc ita referuntur, ut notationem affectus habent adjunctionem. Quia vero externe nihil sit sine interno animi habitu sensuque, pro rerum ac statutus

tus variorumque eventuum diversitate diverso ; hic ipse sagaciter investigatus ac dijudicatus evolvendus est : qui sane recte evolutus idem præstat sermoni historico, quod salis acrimonia cum reliquis condimentis cibo. Exemplo hic sit historia de Mose ad ripam Nili exposito, invento & educato Exod. If nec non ea de ingenti hominum multitudine a Christo in deserto cum miraculosa panum pesciumque multiplicatione cibato Joh. VI, 1. seqq. Hic factorum recensio, si litteram spegetes, arida est : sed, si res consideres ipsas, cum justa hypotyposi ad singulas personas prudenter relatas certe tantam singula circumstantiarum momenta dévororū habent, quæ recte cognita textibus istis amplissimi & simul suavissimi instar commentarii est.

## §. V.

*Texuum dogmaticorum tractationem ad edificationem auditorii relatuero haec inservient consilia:*

1. *Omnia & in omnibus Christus!* ut sit auditoribus, ante omnia ipsi sit dicenti : uti in animo, sic etiam ore ; & ita quidem, ut sapienter norit ad gloriam Christi, in ipsorum animis, per eam in ipsius imaginem magis magisque transformandis, amplificandam omnia referre.
2. Ut vero, Christum esse omnia in omnibus, recte agnoscatur, aperiendus est ingens iste bonorum gratiæ a Christo partorum thesaurus ; adhibita demonstratione, hujus possessione non solum futuram vitam fore beatissimam, sed præsentem quoque esse beatam ; cum e contrario hominum a communione

nione cum Christo sejunctorum vita sit miserrima, etiam in hoc mundo, et si bracteatae felicitatis specie incrustata; & hac ratione viam ad cœlum, etiam sub cruce, longe esse & faciliorem & jucundiorem ea, quæ ad orcum dicit.

3. Et cum, quæ ad Christi & partorum salutis bonorum commendationem pertinent, partim salutis *fundamentum* constituant, partim inde resurgent; cum fundamento isto nunquam non conjungendus est genuinus salutis *ordo*, in quo istorum usura detur evangelica. Atque ita ne hæc, aut ista, doctrina evangelica in abusum rapiatur, ea non tradenda est solitarie, sine nexu cognati illius dogmatis, quod abusui isti obstat & medetur.
4. Omne autem hic fert punctum, qui recte novit conjungere cum *evangelio legem*, cum *fide caritatem*, cum *beneficiis officia*; & ita quidem, ut inde derivet justum *vita christiana æquilibrium*, in *fides* secundum *evangelium*, & in *sancimonia* secundum *legem positum*; & uti a dextra a naturalis indolis securitate; sic a sinistra ab affectus anxietate sejunctum, renovationis *θεω* in coniuncto *gratiae forensis & medicinalis* usu sic constituto.

### §. VI.

Textuum *moralium tractatio* eo erit salubrior, quo magis monitis accommodata erit sequentibus:

1. Si ea absit ab *ariditate scriptorum Anglicanorum plerorumque*; utpote quæ multum quidem habent rationalis persuasionis, sed parum evangelici saporis & spiritualis efficacie, suavissime morali ab efficaci

- ci gratia medicipalis influxu fejuncto: cum tamen sine hoc ista nihil valeat, & non nisi Pelagianam aliquam christianissimi formam elaboret.
2. Si interiorum præcipua habeatur ratio, & exteriora inde deriventur, pharisæismo dealbatorum sepulchrorum sic evitato. Ubi inculcandum est, interiorum officiorum ἐνέγεας etiam suum retinere vigorem, quando exterior praxis deficiente occasione cessat. Est tamen aliud cessare, aliud exferere contrarium: quod posterius cum genuina christianissimi indole est ἀπόστατον.
  3. Si renovationis habitus cursusque a pseudadiaphorice fermento solicite repurgentur; nec illa mala, aut comta, bestia, & animorum pestis in doctrinæ moralis sanctuarium admittatur: utpote quæ incaute admissa libertatem vertit in licentiam, fabrefacta aliqua arte cum mediocritate peccandi exornatam.
  4. Si quavis occasione idonea inculcetur, quanta sit differentia inter amorem nostri aliarumque rerumque creatarum ordinatum, & moderatum, & moderatum post labem inde ab origine attractam nihil esse, nisi moderatum peccatum; ordinatum vero, a salutis ordine sic dictum, a nostri & rerum extra nos positarum abnegatione incipere, a fide & amore erga Deum dependere, & ad veram nostri ac aliorum salutem tendere.
  5. Si urgeatur aequitas & necessitas e statu τῶν νηστῶν ad etatem τῶν τελείων, in sensu evangelico talium, virilem ac senilem contendendi, perseverandi officio debite commendato.

D

§ VII.

## §. VII.

Ad sic dictos usus denique quod attinet, hos *κατ'*  
*ἰξοχὴν* referendos esse ad ædificationem, notissimum est.  
 Referentur autem, si, inter alia non ignota monita, hæc  
 obseruentur:

1. Si *examen* instituatur *conscientiæ*, quoties tractata fuit  
 materia ad regni Dei interiora & ad christianismi  
 praxim pertinens. Ubi quænam ad τὸ κενόν μενον  
 agnoscendum criteria adhibenda sint, Θεοδιδάκτῳ  
 verbi ministro relinquitur.
2. Si erroris *elenchus* ita sit comparatus, ut sine ulla im-  
 becilliorum offensione confirmandæ fidei inser-  
 viat.
3. Si *epanorthosis* sit bene meditata; & gravis quidem,  
 ac parrhesiæ plena; at evangelicæ tamen indolis,  
 & ex amoris ac commiserationis principio deri-  
 vata.
4. Si *pædia* etiam in applicatione consiliis antecedenti  
 §. jam datis sit accommodata; & sic his acule-  
 um, istic calcar relinquat.
5. Si *paraclesis* non nisi ad afflictos juste determinatos  
 referatur: & si, nequis indignus solatia, quorum  
 nec capax est, nec indigus, temere arripiat,  
 ostendatur, quanta sit differentia inter *mala arcet-  
 sita* & *crucem* christianorum propria dictam; & in  
 quo ordine mala, quæ *naturalia* ac piis cum im-  
 piis *communia* sunt, piis tantum in bonum ce-  
 dant.

PROPO-

## PROPOSITIO IV.

DE OFFICIO MINISTRI RELIQVO.

Quemadmodum, ut minister totum concionis suæ corpus, ab ædificationis impedimentis sejunctum, ad hanc recte conformare possit, spiritualis ejus *in auctoritate*, supra Proposit. I. delineata, efficit: sic debita ejus *fidelitas*, quam tota ejus vita reddit conspicuam, justum habitæ concioni pondus addit.

## ILLUSTRATIO.

*Fidelitatis* nomine hic præcipue ea intelligitur cura animarum privata ac specialis, qua verbi minister data, & pro re nata, quæsita etiam occasione, partim explorat, utrum digne receptum sit cœlestis doctrinæ semen, nec ne? & quem fructum ferat: partim in oblata, aut quæsita conversatione se ipsum cuiilibet exhibeat ut typum, imitatione dignum. Nihil enim magis publicum ipsius præconium ornat, nihil magis fructus ejus promovet, quam si auditores viderint, ipsum sibi semper constare. Utinam vero ecclesia evangelica hujus generis pastoribus abundaret!

PRAESES  
RESPONDENTI.

S. D. P.

**M**ateriam sumisisti responione ac defensione publica tractandam, carissime SCHAEFFERE, quæ nunquam non tuite officii admonere potest & debet. Et cum adhuc in dignæ præparationis statu verseris, antequam tibi thesæ nostræ Dissertationis primam commendatam habebis. Huic enim, tanquam regulæ, quo magis conveniet exemplum tuum, eo major, ut reliquæ satisfacias, tua erit *in auctoritate*. Quam ut isto in ordine acquiras, augeasque, vel ipso etiam nomine tuo, eoque triplici, tripliciter admoneris. SCHAEFFERUS vocaris, & posthac eo dignior eris *pæstor*, quo magis allaboraveris, ut genuina sis *ovis Christi*, ad ejus indolem formata. Et sic etiam implebis mensuram *præanninis* utriusque, *puri cordis Nathanael*, qui omnis fuci expersus futurus. Qua ratione etiam parentis tui venerandi, ecclesiæ apud Brandenburgenses bene meritati antistititis, fratris & amici mei veterani & integrissimi, exspectationi respondebis. Da itaque operam, ut, quod spero & confido, hac dissertatione, tanquam data fidelitatis tessera, & calcari aliquo per omnem vitam utaris. Vale.

IN-



## INDEX

DISSERTATIONUM ACADEMICARUM,  
PER ANNOS VIGINTI A PRAESIDE PUBLICE  
HABITARUM AC EDITARUM.

- I. De Genuina studii theologici, præcipue thetici, in-dole ex 2. Tim. I, 13. 14.
- II. De Experiencia rerum divinarum spirituali, e loco Philipp. I, 9. 10. demonstrata.
- III. De Regeneratione ad spem vivam vitæ æternæ ex 1. Petr. I, 3. 4. 5.
- IV. De Mysterio λόγῳ ὑποταῦτῳ ex Ioh. I, 1. & 1. Ioh. I, 1.
- V. De Idea boni animarum pastoris ex 1. Petr. V, 1-4.
- VI. De Isagogeexegetica generali in primam Apostoli Ioannis epistolam, generalia totius epistolæ mo-menta ejusque analysin continente.
- VII. De Theologiæ Studio verbique divini ministro apto & fideli, ex 2. Tim. II, 15. delineato.
- VIII. De Theodidascalia, e Spiritu S. unctione pro-veniente, & ministerii ecclesiastici osoribus ac fa-naticis opposita, ex 1. Io. II, 27.
- IX. De Diversis domus Dei vasis ex 2. Tim. II, 20. 21.
- X. De Melchisedeco μελχισέδεκο, seu historice ex Gen. XIV, & Ps. CX. descripto.
- XI. De Melchisedeco μελχισέδεκο, seu antitypice ex Hebr. VII. delineato.

- XII. De Ortu animæ primæ a Deo, non per essentialem emanationem, sed per creationem; Petro Poireto opposita. *Dissertatio prior.*
- XIII. De Ortu animæ primæ a Deo. *Dissertatio posterior* eidem opposita.
- XIV. De Epicrisi in judicium Gamalielis de cauſa Christi & Apostolorum Act. V, 38. 39.
- XV. De Christo & christianismo in atrio Tabernaculi Mosaici.
- XVI. De Pœna talionis theologice considerata, & præcipue exemplis biblicis illustrata.
- XVII. De Thesibus XCV, quas B. D. Martinus Lutherus, Germanorum evangelista, sic dictis indulgentiis Tezelianis, seu nundinationi veniarum anti-christianæ, tanquam primam certaminum & totius negotii Reformationis tubam, opposuit: *Dissertatio secularis & simul inauguralis.*
- XVIII-XXIX. Dissertationum Anti-Poiretianarum, quibus viri clarissimi, Petri Poireti, œconomia operum Dei sub examen revocatur, & præsertim doctrinæ majoris momenti de satisfactione & justificatione a corruptelis vindicantur, *Dodecas prior.*
- XXIX-XLI. Dissertationum Anti-Poiretianarum ejusdem & cognati argumenti *Dodecas posterior.*
- XLII. De Hæresium prædictione biblica & infelici eorum proventu seculi primi, in plerisque ecclesiis, præcipue Asiae.
- XLIII. De iis doctrinæ capitibus præcipuis, quæ per hæreses in scriptis Apostolicis memoratas depravata sunt, & ad quæ hæreses seculi primi possunt refer-

referri. Ubi accedit appendix de erroribus aliis, non quidem in hæreses, at in contentiones tam & schismata, versis.

**XLIV.** De Hæretiologiæ biblicæ, seu e scriptis Apostolorum delineatæ, *illustratione* ea, quam epistolæ IGNATII & reliqui scriptores ecclesiastici exhibent.

**XLV.** De Hæreticis falso creditis, seu de iis, qui hæreticis fuerunt deteriores, ut *Simon magus* & ejus sectatores: ac de iis, qui perperam pro hæreticis sunt habitu, ut *Ebionæ* & *Nazarei*: quibus nominibus per scomma ipsos sinceros christianos fuisse appellatos, demonstratur.

**XLVI.** De Gnosticis ab Irenæo descriptis præcipue Valentianis & reliqua istorum colluvie. Not. Restant hic tres Dissertationes, ob defectum Respondentium, qui difficultoribus hisce materiis se subtraxerunt, nondum editæ, scilicet

1. De Marcione, Praxea & Hermogene, Hæreticis a Tertulliano præcipue detectis & refutatis.
2. De Schismaticis seculi secundi, h. e. de Montanistis & Encratitïs, nec non de schismate, seu controversia in caussa *celebrandi festi paschatos*.
3. De defectibus hæretiologie veterum, & inter recentiores *Itigianæ* & *Arnoldianæ*.

**XLVII.** De Peccato in Spiritum Sanctum Dissertation prior.

**XLVIII.** De Peccato in Spiritum Sanctum Dissertation posterior.

**XLIX.**

- XLIX. De Iusta concionum mensura, Von kurzen und  
langen Predigten..
- L. De Forma concionum ad ædificationis scopum cu-  
ratius componenda, Von erbaulichen Predigten.
- LI. Typus, senioris doctrinæ ex Rom. VI, 17. deline-  
atus. Hæc cum sequenti proxime edetur.
- LII. *Dissertatio secularis in memoriam AUGUSTA-  
NAE CONFESSIONIS*, die xxv. Jun ante  
duo secula augustissimo imperatori, Carolo V. in  
comitiis Augustanis oblatæ & inexpugnabilis, de  
B. D. MARTINI LUTHERI charismatis  
præcipuis, ex ejus vita ad mentem Pauli 2. Tim. I,  
7. 8. delineatis.
- LIII-LXII. Huc volente Deo deinceps accedet differ-  
entiationum exegeticarum *Decas* in duo priora ca-  
pita epistolæ prioris ad Timotheum: quæ sunt  
pars Commentarii in epistolas pastorales Latini,  
sed ob labores alios, in primis exegeticos, lingua  
vernacula confectos & conficiendos,  
sepositi, nec absolvendi.




Jg 6179



Art.

AN

BR



B.I.G.

16a

DISSERTATIO HOMILETICA  
POSTERIOR  
DE  
**CONCIONVM  
FORMA,**  
AD AEDIFICATIONIS SCOPVM  
CVRATIVS COMPONENDA,  
*Von erbaulichen Predigten:*  
QVAM  
IN REGIA FRIDERICIANA  
DIE MARTII ANNI HVIVS MDCCXXX.  
PVBLICAE DISQVISITIONI  
SVBMITIT  
PRAESES  
**D. IOACHIMVS Lange,**  
S. THEOL PROF. ORDIN.  
RESPONDENTE  
**NATHANAELE Reinherz Schäffer,**  
DABERA - POMERANO,  
S. S. TH. CVLTORE.  
HALÆ MAGDEBURGICÆ  
TYPIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP.